

Omnia Augustini monumenta, & sepe legerat, & optime meminerat. Sed his omnibus non cedit Janfenius, qui teste Valerio Andrea, in ejus vita: *Unum ferè è SS. Patribus vita sua Ducem, studiorumque Magistrum, Sanctum delegerat Augustinum, cujus opera omnia ferè decies; libros verò de Gratiâ Divinâ, & libero arbitrio plusquam trigefies à capite ad calcem evolverat.* Adèò plenus Augustino, non aliud videbatur posse eruere; nec alio famosum opus suum insigniri titulo voluit, quàm *Augustinus Cornelii Janfenii.* Hinc neque sequaces ejus alio cupiunt appellari nomine, quàm *Discipuli S. Augustini;* illud sibi quasi proprium antonomasticè vindicantes. Quesnellus anno 1712. in *Explicatione Apologetica* Præfatione ait: *Se doctrinam OBSERVATIONIBUS MORALIBUS expressam hausisse ex SS. Augustino, & Thoma, ratus se sub talium umbrâ Magistrorum adversus quaslibet Pontificum censuras sat esse tutum. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam, ajebat Authôr Propositionis 30. ab Alexandro VIII. condemnatæ, quam contra Sedis Apostolicæ sententiam resuscitavit Quesnellus Socius, & Magister Arnaldus in Difficultatibus propositis Domino Steyaert par. 9. pag. 171. Ego verò toto hoc Opere ostendam, Quesnellum in Observationum Moralium Propositionibus 101. à CLEMENTE XI. damnatis nihil cum Augustino, nihil cum Angelico habere commune. Si autem haberet aliquid, tenenda nihilominus foret regula ipsius Sancti Thomæ 2.2. qu. 11. art. 2. ad 3. *Hæreticus censetur, qui pertinaciter repugnat determinatis auctoritate universalis Ecclesiæ, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice . . . contra ejus auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis SS. Doctorum suam sententiam defendit: Defendit summâ pertinaciâ Quesnellus, stipatus agmine Novatorum; in hoc saltèm (uti & in aliis) minime Thomista, & teste Angelico, non magis Augustini discipulus. Nec amplius Augustiniani sunt in cæteris quicumque cum Quesnello Janfenium audiunt Pontifice refragante.**

Doctor Aquinas 2.2. qu. 1. art. 10. *Nova, inquit, editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores; ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcusâ Fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & diffiliores Ecclesiæ quæstiones deferuntur.* Hac Angelici Doctoris sententiâ stemus, & cessabunt scan-

dala: Janfenii, & Quesnelli hæreses, errorefque finientur: Pax reddetur Ecclesiæ Gallicæ, & Belgicæ, tot scriptis satyricis, & contumeliosis tanto tempore agitata. Sed non is Novatoribus animus est: Statutum, fixumque sibi habent, pro doctrina Janfenii, tanquam pro aris, & focus certare perpetuò.

Testatur id palàm Ægidius Candidus, & Candidorum Janfenistarum Princeps, se à Janfenii sensu, prout in libro ejus exprimitur, etsi eum ab Ecclesiâ universâ in Concilio Oecumenico congregatâ damnari contingeret, nullo tempore recessurum. Rationem facilè colliges, ex *Apologiâ Panegyricâ Janfeniana per Paulum Aurelium*, aliàs Ægidium Candidum pag. 22. *Demonstrandum, inquit, suscipio perspicuis rationibus, quod perquam est facilè, doctrinam Ecclesiæ magis jam esse illigatam Janfenio, seu personæ, ac scriptis ejus, quàm unquam personæ Athanasii innexa fuit. . . unâ conveniet declarare Scriptoris gloriosi volumen, tum dignitate materiæ, tum excellentiâ sapientiæ, tum pietatis afflatu, libris omnibus, quos Ecclesiæ Dei post Canonicas Scripturas protulit, aut non cedere, aut palmam etiam cum laude auferre.*

Quapropter non erit temerarius, qui credat Janfenistas istiusmodi, quoties se Augustini Discipulos vocant, de Iprensi id Augustino potiùs, quàm Hipponensi intelligere. Non obscure istud agnoscit idem Ægidius in *Augustino Iprensi vindicato.* pag. 373. dicens: „ Si alterutrius esset faciendâ optio; An ut „ sensus librorum S. Augustini Hipponensis „ in materia liberi arbitrii, & gratiæ Dei; „ an verò sensus libri Janfeniani, juxta Con- „ stitutionem Clementinam Theologiæ ti- „ ronibus ejurandus esset, minùs è conde- „ mnatione prioris, quàm è posterioris Catholica Christi Ecclesiæ pateretur; nam „ Augustinus Hipponensis, tum quia non „ semper, æquè in hac materia eruditus fuit, „ tum quia adversarios binos, Manichæos, „ & Pelagianos, è diametro in materia libe- „ ri arbitrii repugnantes, stylo suo expu- „ gnandos, ac fundendos habuit, aliquando „ aut minùs cautè, aut minùs clarè locutus „ est, adèoque . . . in quæstionem, vitiliga- „ tionemque trahi potest; Janfenius nullo „ modo „. Authôr ille audacissimus Quesnelli defensor est, cui passim tribuitur libellus Belgicè editus hoc titulo: *Instructio ad Fideles circa Bullam quandam nomine CLEMENTIS XI. divulgatam contra Propositiones 101.* Quæ lucubratio ab initio usque ad finem nihil nisi rebellionem, schisma, & hæresim spirat.

Alius Quesnelli fautor Elias du Pin in *Nova sua, & damnata Bibliotheca Scriptorum*

Eccle-